Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35185
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



adduxissem hic etenim mihi cottidie ludos exhibet nouos
dumque quod viderit vel audierit imitari conatur gestus
comitos repentat frangit verba que plene proferre
non potest et cum omnino non possit exprimere que cogitauit
signis illud motuque corporis manifestat Sub vno
eodemque spacio hore letus et tristis flens et ridens
inuenitur Nec hoc artificiose vt alii sed simpliciter
natura et etate impellente agit nichil inde sperans
premii vel precii

p 44. Porro grauiorem quem habeo inimicum vxorem
attuli At vxor cum videret se huic murie
reseruatam recoleretque fidem et miseriam et huma-
nitatem erga maritum maritique patrem habitam
nimio furore succensam vixque dum ille finiret
verba sustinens ait O omnium inquit infelicissimum
impiissimum ingratissimumque hominum qui immemor beneficiorum
miseriarumque quas ego pater eius morti subtracto multis
annis incauta exhibui me coram rege omnique populo
inimicum se michi reputauit At iuuenis Ecce
inquit o rex vera esse de vxore que dixi que pro solo
verbo et patrem occultum prodidit et me mortis sine
mancipauit Ideo sapientissimus quidam olim filium
suum docens eam maxime que in sinu suo cubaret
cauendam esse mandauit vxorem Cum enim manifesti
inimici caueant vxorem suam blandum inimicum qui
semper incumbit nullus vitare potest quia amorem ve-
hementissimum ore simulat et cordis insidias machi-
natur Rex autem subtilitatem iuuenis admiratur